

lem et physicam præbere non potest.

XLII. Respondetur ita conjungi res et verba in significatione, quod etiam conjunguntur in subjecto significationis; ita quod significationi sacramentali unum præbent subjectum, quod sit unum realiter sacramentum. Et ideo conjunctio illa realis est, in quantum ad unam significationem sacramentalem accipiendam a Christo Domino assumpta sunt, ut essent ejus subjectum. Et sicut assumuntur tam verba quam res a Deo ut instrumentum gratiæ, sic non mirum quod realiter uniantur ut sunt unum signum, sicut uniantur ut sint unum instrumentum. Conjunctio autem qua realiter uniantur, non est sola indistantia loci, aut temporis inter verba et res, licet hæc requiratur ut conditio; non tamen physica, sed moralis; sed etiam determinatio unius ad alterum ex ordinatione divina, ut faciant unum signum et unum subjectum reale sacramentalis significationis, et assumantur ut unum instrumentum ad producendam gratiam.

XLIII. Et si forte quando adhibetur forma non existat actu materia, seu actio ipsa, quæ pro forma ponitur, ipsa tamen forma sola non induit significationem sacramentalem, aut assumitur ut instrumentum, sed ut conjuncta cum determinatione relicta ex illa ratione. Itaque ista unitas realis, et unio seu conjunctio realis sacramentorum, non est tanta sicut in rebus permanentibus invenitur; sed illa quæ sufficit ut absolute dicatur sacramentum unum realiter, supposita ordinatione divina, quæ tales res in illam sacramentalem significationem ordinavit. Ut autem aliquid sit unum, ut constat ex his quæ docet S. Thomas VII metaphys. lect. XVII, quod si ordo ille realis non sit, sufficit quod fundamentali-

ter sit quid reale, ut in eo uniantur verba et res tamquam in reali uniente.

XLIII. Et hoc fundamentum talis ordinis manet, etiamsi actu non maneat materia. Manet enim habitudo et determinatio ejus ad formam, seu id quod cum forma sufficiens est fundare relationem illam rationis, in qua uniantur. Cum enim sit relatio rationis ratiocinata, fundamentum reale supponit, et in hoc uniantur res et verba unitate reali; et sicut unitates numeri, et clausulæ orationis quæ faciunt unitatem realem, (saltem illam quæ non sit unitas per accidens et solum moraliter, sed etiam physice) unum quid sunt in ratione subjecti, seu fundamentum unam perfectam rationem significationem sacramentalem.

XLIV. Igitur conjunctio realis materiæ et formæ in sacramentis est ordo fundamentalis quo ista duo ordinantur, ut sint unum subjectum reale significationis sacramentalis, et sicut plures trahentes navim sunt unum in ordine trahendi, ita res et verba sunt unum in ordine fundamentalis, quo uniantur, ut sint subjectum reale significationis sacramentalis. Et quia in ista conjunctione resultat unum subjectum reale significationis sacramentalis, in quo subjecto una pars determinat aliam, id etiam est compositio realis et physica, in quo amplius habet, quam trahentes navim, in quo unus non determinat alium.

XLV. Ex quibus patet, non recte comparari formam sacramenti verbalem, seu verba ipsa, formæ extrinsecæ specificanti, sicut objectum respectu potentiæ aut habitus, ex qua desumatur forma intrinsecæ sacramenti, id est, significatio. Non enim hoc modo se habent verba, sed ut forma determinans materiam, quæ est res; et utraque suscipit significationem sacramentalem ad

modum quo in rebus artificiosis una pars respectu alterius se habet ut formalior, et utraque recipit formam artificialem totius, ut patet in domo. Et ratio est, quia forma extrinsecæ signi solum est signatum, nec est invenire aliud formale extrinsecum, a quo specificetur. Sacramentum autem signum est re, respectu cujus forma, id est, verba, non se habent ut signatum, nec respectu totius sacramenti, ut patet, cum significatum ejus sit gratia; nec respectu materiæ, cum hujus significatum non sint verba; sed respectu ejusdem significati verba se habeant expressius quam res, et ideo ab ejus significatione perficiuntur. Igitur verba non se habent ut forma extrinsecæ, sed ut signa expressius significantia et determinantia minus perfecta, ut ex utrisque consurgat una sacramentalis significatio, utriusque tamquam uni subjecto conveniens.

XLVI. Ulterius vero ex hoc colligitur æquivoce processisse Cabrera disputatione secunda super hunc articulum, non distinguendo inter compositionem ex materia et forma in sacramentis, et compositionem ex re et significatione. Etenim prima compositio solum est compositio ex quibus, quia scilicet ex materia et forma fit unum compositum, cui convenit sacramentalis significatio. Nec ista forma (videlicet verba) comparatur ad materiam (scilicet ad elementum) ut accidens ad subjectum, seu ut forma accidentalis; sed se habet respectu illius ut pars expressius et formalius significans, cui postea simul cum altera compositione advenit significatio sacramentalis. In secunda compositione verum quidem est, quod altera pars est accidens; cæterum in compositione accidentis, et consideratur compositio ex his (scilicet respectu hujus aggregati ex subjecto et acci-

dente) et respectu hujus forma se habet ut pars, cum ex illa fiat tale aggregatum; et consideratur compositio huic, scilicet in quantum accidens conjungitur subjecto, et sic non est pars subjecti, cui unitur illa forma; est tamen essentialis ipsi artefacto, ut jam supra dictum est articulo primo.

XLVII. Nos autem hic non loquimur de ista compositione ex significatione et subjecto, sed de compositione quam facit materia et forma, ut resultet significatio sacramentalis illis ut subjecto conveniens. Et quia sacramentum essentialiter petit pro subjecto habere hoc, quod constat ex tali materia et forma, ideo dicuntur illæ partes essentielles sacramento, seu constitutioni ejus. Et miror citari ab isto auctore Cajetanum, quod neget formam non facere essentialem compositionem cum rebus sensibilibus; cum expresse hoc articulo Cajetanus in fine commenti dicat, non dici relationem signi compositam ex materia et forma, sed quod relatio talis signi non adest nisi composito ex talibus, determinabili et determinante, etc. Quare verba et res compositum faciunt, cui supervenit significatio sacramentalis, et in quantum tale compositum, quod sit subjectum, efficiunt, realiter componunt, quia subjectum illud reale est, et unum etiam est, sicut sacramentum ens reale est.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLVIII. Objicitur primo: Nam in compositione physica materiæ et formæ, oportet formam inesse materiæ et eam attingere, et realiter afficere, verba autem non tangunt res, neque realiter efficiunt, cum maneant in aere: ergo non physice componunt cum illis.

XLIX. Confirmatur, nam multoties quando forma profertur, jam materia non est actu præsens, ut in sacramento pœnitentiæ, quando post confessionem factam absolutio datur aliquo tempore interposito. Similiter materia manet forma transacta, ut in eucharistia manet ratio sacramenti, etiam postquam forma non est; et in sacramento matrimonii, quod inter absentes fit, consensus unius non est actu quando alter consentit de præsentibus: ergo in his non potest fieri compositio realis et physica, si quidem hæc requirit præsentiam, et actualem existentiam extremorum.

L. Respondetur magistrum Nugno putare, quod quando materia et forma simul adsunt, Deus efficit ut verba perducantur usque ad materiam, et tangant illam et realem aliquam determinationem, seu modum in illa ponant, ratione cujus compositio realis fiat, et sic fieri hoc compositum artificiosum multo melius quando res et verba sunt simul.

LI. Cæterum neque ista necessaria sunt, cum sufficiat moralis præsentia materiæ et formæ, neque in illis consistit formaliter conjunctio realis, quam in ratione subjecti habent materia et forma. Alia enim conjunctio est per modum materiæ et formæ; alia per modum indistantiæ; præterquam quod ille modus conjunctionis non habet solidum fundamentum. Unde enim constat, quod divina virtute deferuntur verba, ut percutiant, et tangant abluionem aut unctionem, etc. ac denique neque id generale est in omnibus sacramentis. In pœnitentia enim, post absolutam actionem pœnitentis datur forma, quæ non potest percutere et tangere materiam, quæ præcessit; et simile est in prolacione consensuum in matrimonio.

LII. Quare dicendum videtur, quod

licet verum sit quod requiratur præsentia aut indistantia moralis materiæ et formæ, sive in tempore, sive in loco, ut materia et forma sacramentorum uniantur et jungantur, tamen id in quo formaliter consistit unio realis, est in quantum fiunt unum subjectum reale significationis sacramentalis, et fiunt unum in ordine sacramentali, non formali (hæc enim realis non est) sed in fundamentali. Nec enim illa relatio rationis est rationis ratiocinata, et sic fundamentum reale supponit, sive mediate, sive immediate, id est, sive proximum, sive remotum, ratione cujus unum dicitur realiter subjectum sacramentalis significationis, constans ex materia et forma; utraque enim unum subjectum facit, et unum sacramentum realiter, et quod sit ens reale.

LIII. Ut autem in artefactis (ut in domo verbi gratia) partes ejus fiant subjectum formæ artificialis, id est, figuræ, debent uniri inter se, non solum ratione indistantiæ physiciæ, sed etiam ratione modi artificialis quo junguntur in ordine ad suscipiendam formam artificialem, licet requiratur ad hoc indistantia realis; sic requiritur indistantia moralis in sacramentis, modo tamen reali artificiali in unum subjectum reale conveniunt. Et hoc quidem ita fit, quando formaliter, et ratione propriæ entitatis concurrunt materia et forma; quando enim jam aliqua illarum præsens non est, dicitur solutione ad confirmationem.

LIV. Ad quam confirmationem magister Nugno citatus respondet, quod transeunte materia (verbi gratia, confessione pœnitentis) manet ipse pœnitens determinatus et modificatus per modum realem, quem antea non habebat, cui per formam conjungitur; et advenit novus modus realis productus a verbis sacramentalibus, et ex utroque fit unum

compositum, et una physica et realis compositio.

LV. Quod si quis instat: Quia ista compositio est ex modis, et non ex rebus et verbis, respondetur fieri ex modis in quantum sunt virtutes rerum; et ita dicitur cum proprietate fieri compositio ex rebus, sicut compositio ex elementis reperitur in mixto, cum tamen elementa non sint nisi virtualiter in illo. Sed sane tunc videtur incidere in opinionem Cabrera, quia mixtum non componitur ex elementis, ut ex partibus, sed componitur ex illis partibus, quibus virtute insunt elementa: ergo similiter sacramentum non componitur ex materia et forma, ut ex partibus, sed componitur ex partibus quibus virtute inest hæc materia et forma.

LVI. Respondetur ergo, subjectum reale susceptivum significationis sacramentalis, non esse solam formam, sed actus pœnitentis; non quidem in se existentes, sed virtualiter adhuc permanentes. Sicut enim virtualiter dicitur manere amor finis, et non solum moraliter, sed virtualiter realiter, licet ut realiter maneat, requiratur etiam quod non tanto tempore ante facta fuerit, ut non censeatur moraliter manere intentio finis; ita dolorosa confessio manet in homine in ordine ad effectum sacramentalem, ratione cujus potest illa materia realiter uniri cum forma media sua virtute, sicut uniantur elementa in mixto. Sed addendum insuper est, in hoc differre a compositione elementorum, quod in mixto elementa non se habent sic, quod unum determinet aliud, tamquam materia et forma, in sacramento vero sic. Et ideo habent se ut partes componentes, elementa vero non. Id enim quod in virtute manet in sacramento, non manet tamquam materia de se antecedens, et quod solum virtute postulet intra-

re compositionem, sicut elementa, quæ ex ratione sua essentiali solum virtute habent intrare mixtum; at vero materia sacramentalis non competit mediante virtute sua, quia solum virtualiter postulet intrare compositionem sacramenti, sed quia de se postulat quidem formaliter componere, defectu tamen præsentia mediante sua virtute id facit, quia hoc artefactum non solum reale, sed etiam morale est. Et ita habent se sicut movens et mobile, quæ debent esse simul per realem indistantiam, sed possunt etiam virtualiter jungi.

LVII. Quod si instes: Nam non manet virtute confessio dolorosa exterior, sed solum in virtute interiori, si quidem virtus illa, ratione cujus virtualiter manet non est quid corporale et externum; quomodo enim, aut in qua parte corporis manet: ergo non potest componere sacramentum, si quidem illud ex sensibilibus solum componitur.

LVIII. Respondetur sacramentum non componi in illa virtute secundum entitatem suam, sed ratione ejus quod repræsentat ac refert; et cum referat confessionem dolorosam expressam ac significatam jam exterius, ratione ejus componit, non tam ipsa virtus, quam significata confessio; et ideo nihil interest cujus entitatis virtus illa sit, cum non ratione entitatis componat. Neque enim ipsa pars sacramenti est, sed id quod in ea continetur; sicut etiam in mixtis elementa continentur virtute qualitatatum, quæ sunt accidentia quædam; compositio tamen mixti ex elementis non est compositio accidentalis, sed substantialis; nec enim ex accidentibus mixtum componi dicitur, quando ex elementis componitur, licet virtute qualitatatum componatur.

LIX. Secundo objicies: Nam quando Petrus et Paulus portant

lapidem, aut homo et calamus scribit, non fit ex illis aliqua physica et realis compositio, similiter quando fit contractus aliquis emptionis aut venditionis, non fit ex illis verbis significativis aliquid reale, licet inde resultet contractus quidam; sed omnia ista moralem solum conjunctionem et unionem habent: ergo similiter sacramenta.

LX. Confirmatur, quia solum uniuntur materia et forma in sacramentis in ratione unius signi; signum autem est ens rationis; ergo non requiritur quod physice et realiter uniantur, sed morali quadam unione, quæ sit quid rationis. Denique Concilium Florentinum tria numerat, ex quibus sacramentum componitur, scilicet materia, forma, et minister: sed ex ministro non componuntur realiter, ergo neque ex materia et forma.

LXI. Respondetur in illis exemplis disparitatem esse, quia illa omnia non se habent ad invicem ut materia et forma in ordine ad componendum unum signum, et unum subjectum reale significationis sacramentalis, et ideo non facere compositionem physicam et realem. In contractibus enim per verba illa perficitur obligatio et virtus contractus, non tamen constituitur subjectum reale alicujus alterius significationis, sicut fit in sacramentis. Similiter Petrus et Paulus solum uniuntur in ratione trahentis, et ordine quodam sunt unum, non tamen in ratione unius subjecti realis uniuntur, sicut sacramentorum forma et materia.

LXII. Ad confirmationem respondetur, quod materia et forma non uniuntur solum in ratione illa formali signi, quæ est ens rationis, sed etiam in ratione subjecti, quia ex utroque fit unum subjectum sacramentale, sicut et unum signum, et cum hoc debeat esse

reale, alias sacramentum ens reale non diceretur absolute et simpliciter, oportet quod reali aliqua unione jungantur. Ad dictum Concilii clare patet, quod minister componit ut conficiens, materia autem et forma ut partes, et ut subjectum significationis sacramentalis, ideoque realiter debent uniri, non sicut minister.

LXIII. Ex quibus etiam patet, quomodo non uniantur realiter voces significativæ ad constituendam propositionem, etiamsi in ratione prædicati et subjecti uniantur, non enim uniuntur in ratione unius subjecti realis, sicut in sacramento; nam significatio propositionis in vocibus una non est, sed ex multis constans; intentio vero secunda in primis non immediate convenit subjecto reali, sed ut cognito: deinde vero non invenitur in voce significativa, ut in subjecto, sed ut in instrumento intellectus, ut tradit Soto in Antepredicam.

LXIV. Tertio objicies: Nam conjunctio ista et compositio realis non fit per informationem realem, sicut se res habet in materia et forma substantiali aut accidentali, neque per indistantiam loci aut temporis, ut dictum est, neque per compositionem aut ordinem, cum non componantur partes illæ inter se modo corporali externo physico, sicut partes domus, et sicut oportet componi sacramenta, quæ sensibilia sunt: ordo autem, seu relatio quam acquirere possunt, non est realis, sed veluti moralis aut rationis: ergo non apparet quomodo compositio ista sit physica.

LXV. Respondetur compositionem hanc fieri secundum ordinem quemdam, quo determinant se ad invicem verba et res, ut sint unum subjectum sacramentale; qui ordo fundamentaliter est quid reale, et formaliter quid rationis. Reducitur

autem ista compositio ad illam, quæ per informationem fit, si quidem est ex materia et forma determinabili, et determinante, et ad illam quæ fit virtualiter sicut mixtum ex elementis, quando actu ipsa materia et forma non concurrunt.

LXVI. Et præterea est alia compositio ex materia et significatione, tamquam ex subjecto et accidente, ad quam prima ordinatur, quæ est ex materia et forma; sed de hac in præsentem non loquimur. Et ideo compositio hæc ex materia et forma maxime assimilatur illi, quæ est ex numeris ad suscipiendam ultimam unitatem, quæ uniuntur realiter, quatenus fundamentalem ordinem habent ut numerentur ab intellectu sub una forma ternarii aut quaternarii, etc. nihilominus de aliis etiam participat compositionibus, ut vidimus. Habet enim similitudinem materiæ et formæ; ordinatur ad compositionem ex accidente et subjecto; habet de virtuali compositione sicut elementa; item de compositione et indistantia, secundum quod se sæpe tangunt realiter, et saltem indistantiam exigunt moralem; habent etiam de ordine, in quo uniuntur secundum fundamentum illius, et ut sunt subjectum ejus.

LXVII. Quarto objicies ex Cabre-
ra: Nam in artificiosis tota essentia est materia, ut dicit S. Thomas: ergo cum sacramenta sint artefacta, non potest forma sacramentorum esse de essentia, sed de perfectione eorum; et sic neque pars essentialis et intrinseca sacramenti est.

LXVIII. Confirmatur, quia nulla res artificialis componitur ex materia et forma tamquam ex partibus essentialibus; sacramentum autem quoddam artefactum est: ergo. Major probatur, nam album, verbi gratia, non componitur ex corpore et albedine, ut ex partibus; cum

enim album supponat pro substantia seu corpore, et albedo sit accidens, non potest esse pars corporis, seu albi supponentis pro corpore; alias etiam figura in artefactis diceretur pars componens istius domus; et præsertim, quia Aristoteles in antepredicamentis dicit accidens non inesse subjecto tamquam partem.

LXIX. Confirmatur secundo, nam verba in eucharistia, verbi gratia, non possunt esse forma intrinseca eucharistiæ: ergo neque pars intrinseca et essentialis. Antecedens patet, nam forma eucharistiæ est simul efficiens ipsius eucharistiæ: ergo non potest esse forma intrinseca; nunquam enim forma intrinseca, efficiens esse potest ejus, cujus est forma.

LXX. Confirmatur tertio: Illud est sacramentum, cui inest significatio sacramentalis, sed hæc non semper inest composito ex materia et forma, sed aliquando soli formæ, aliquando soli materiæ: ergo non semper forma et materia sunt partes componentes sacramentum. Minor probatur, nam non semper totum compositum est impositum ad significandum sacramentaliter, sed altera pars, ut in sacramento penitentiae sola absolutio sacerdotalis significat totum effectum sacramentalem; e contra vero in eucharistia, sola materia significat, et est totum sacramentum; forma autem non significat sicut eucharistiæ sacramentum requirit, permanenter; sed solum efficit ipsam eucharistiam, et significationem habet in fieri, non in facto esse; et sic sola materia significat in facto esse.

LXXI. Respondetur, ad argumentum dupliciter. Primo, falsum esse quod in artefactis tota essentia sit materia: aliud enim est quod tota substantia sit materia, quia solum ratione materiæ pertinent ad præ-

dicamentum substantiæ, et solum supponunt pro materia: aliud est quod tota ratio essentialis artefacti, in quantum artefactum, sit materia, cum constet speciem et essentialem rationem artefacti pendere a forma artificiali. Et quando dicitur, quod artefacta perficiuntur per formam, ly perficiuntur non dicitur accidentalem, sed essentialem perfectionem, sicut homo perficitur per rationale, quia ibi terminatur ejus essentialis compositio.

LXXII. Secundo respondetur, quod hic non loquimur de compositione sacramenti ex subjecto et significatione, quæ est forma artificialis, sed ex verbis et rebus, quæ sunt materia et forma, in quantum ex illis sit unum subjectum reale sacramentalis significationis. Ex institutione enim divina assumptum fuit pro subjecto compositum hoc, et ideo supposita tali institutione, essentialiter et intrinsece illud subjectum petit talia extrema et partes componentes: unde non est ad propositum compositio ex forma et subjecto, ex forma artificiali et materia.

LXXIII. Ad primam confirmationem eodem modo respondetur. Primo quidem, falsam majorem: ad cujus probationem dicitur, quod in albo et invenitur compositio ex his, respectu aggregati ex corpore et albedine, et in hac compositione albedo est pars; et reperitur compositio huic, secundum quod albedo trahitur ad esse corporis, et illi inhæret, et sic non est pars. Et sic etiam figura non est pars, et sic Aristoteles dicit accidens non inesse ut partem, quia considerat compositionem, seu conjunctionem ejus ut huic.

LXXIV. Secundo dicitur, quod in artefactis, verbi gratia in domo, et est compositio partium ad invicem, ut parietis cum tecto et fundamen-

to, etc. et hæc ex partibus est: et est compositio ex figura et materialibus, et hæc partes non dicit, quia accidens non est pars simul cum substantia. Compositio sacramenti ex materia et forma verbali assimilatur primæ compositioni artefacti, et de hac loquimur in præsentia: compositio vero ex significatione et materia assimilatur secundæ, et de hac non loquimur in præsentia.

LXXV. Ad secundam confirmationem dicitur, formam verbalem eucharistiæ utramque rationem habere, et esse perfectivam significationis specierum panis, sicut verba expressius significant quam res, et secundum hanc considerationem componitur cum speciebus ad modum formæ intrinsecæ unum subjectum significationis sacramentalis; non quia informando id faciat, sed secundum ordinem quemdam et conjunctionem, ut explicatum est. Habet etiam esse instrumentum divinæ virtutis ad efficiendum ipsum sacramentum eucharistiæ, et ponendum corpus Christi sub speciebus; nec est inconueniens, quod id quod ex institutione divina est forma componens, sit etiam instrumentum compositionis; sicut potest Deus mediante anima ut instrumento, resuscitare et unire illam corpori, et efficere ipsum corpus, et tunc esset forma intrinseca corporis et efficiens, sed non efficiens principale, sed ut instrumentum Dei: sic et in præsentia.

LXXVI. Potest etiam dici, quod verba non componunt sacramentum eucharistiæ secundum se et entitatem suam, sed virtute qua manet in speciebus, ut supra dictum est: et ideo aliud est quo componunt intrinsece; aliud quo sunt efficientia, scilicet secundum entitatem suam.

LXXVII. Ad tertiam confirmatio-

nem respondetur negando minorem: et ad probationem dicitur, quod in sacramento pœnitentiæ, confessio dolorosa exterius expressa significat sacramentaliter gratiam dandam virtute clavium, quia subicit se illis, et ita significat ipsam contritionem ut formatur charitate, et passionem Christi dolorosam ut dantem gratiam virtute clavium; nec id sola forma significat sacramentali modo. Eucharistia etiam significat ratione verborum, cum species ipsæ non significant Christum nisi ut determinatæ a verbis. De se enim indifferentiam et indeterminationem ad id habebant, et ideo verba etiam significant sacramentaliter, non permanenter ratione suæ entitatis, quæ transit, sed permanenter ratione determinationis, quam in speciebus relinquunt, et in fieri ratione suæ entitatis, quæ quia postea virtualiter manet in speciebus, ipsa verba dicuntur significare, et componere ratione virtutis suæ realis et determinationis, sicut elementa componunt mixtum.

ARTICULUS VII.

Utrum in sacramentis requirantur determinata verba?

I. Prima conclusio in corpore: Determinata verba requiruntur ad efficiendum sacramentum, multo magis quam determinatæ res seu materia, cum forma sit principium magis determinatum quam materia.

II. Secunda conclusio solutione ad primum et secundum: In quacumque lingua proferantur verba, dummodo eundem sensum reddant, conficitur sacramentum; illa tamen verba seu voces assumendæ

sunt, quibus principaliter et communius homines utuntur in illa lingua.

III. Tertia conclusio: Qui ex industria profert verba corrupte, non videtur perficere sacramentum, cum non videatur intendere quod facit Ecclesia.

IV. Quarta conclusio: Si ex errore, vel lapsu linguæ varientur verba, attendendum est ad sensum quem reddunt sic corrupta; si enim totaliter auferant sensum locutionis, non conficitur sacramentum; si vero non totaliter auferatur sensus, sed saltem per accommodationem significant, adhuc conficitur.

V. Quinta conclusio: Quando corruptio verborum sit in principio dictionis, regulariter loquendo auferit sensum, magis quam si ex parte finis contingat; magis tamen attendenda est quantitas corruptionis, quam ista regula.

VI. Principalis conclusio S. Thomæ optime probatur ab ipso in corpore articuli, quia verba se habent per modum formæ respectu rerum, quæ se habent ut materia in sacramentis; in his autem quæ componuntur ex materia et forma, forma est principium determinationis materiæ, cum sit finis ac terminus ejus, determinatam ei præbens actualitatem, et esse in eo in quo est forma: igitur magis requiritur determinata forma quam determinata materia, et ita si res sensibiles debent esse determinatæ ex institutione divina, quia materiæ sunt ad sanctificationem nostram sacramentaliter ordinatæ, multo magis id quod est forma talis materiæ, determinatum esse debet ut expressionem et determinationem significationem tribuat.

VII. Secunda conclusio explicatur, supponendo quod variatio verborum potest esse vel in materiali vocis, vel in formali sensus. Et rur-